5173518 108932

DISSERTATIO INAUGURALIS MEDICA
DE
TABE DORSALI,

QUAM
VOLENTE DEO
AC INDULTU
ILLUSTRIS COLLEGII MEDICI
IN ALMA SALANA,
PRÆSIDE
VIRO EXCELLENTISSIMO & EXPERIENTISSIMO
DN. GUNTHERO CHRISTOPHORO SCHELHAMMERO,
MED. DOCT. ANAT. CHIRURG. ET BOTAN.
PROF. PUBLICO,
PATRONO AC PRÆCEPTORE ÆTATEM DEVENERANDO,
PRO LICENTIA
SUPREMOS IN ARTE MEDICA HONORES AC PRIVILEGIA
DOCTORALIA LEGITIME OBTINENDI,
publico examini ſubmittit
CAROLUS AMATON TORNESI, Jenenſ.
Medicus Provinc. Sangerhuſ. deſignatus.
Ad d. XII. Jan. Ao. M DC LXXXXI.
IN AUDITORIO MAJORI,
Horis ante & pomeridianis.

J E N Æ,
LITERIS KREBSIANIS.

Wellcome Library

PRÆLOQVIUM.

AD valetudinis conſervandam integritatem quàm circumſpectè Veneri indulgere conveniat, inſatiabiles voluptatis ac luxuriei heluones inevitabili ſuo periculo quotidiè comprobant. Sunt enim deliciæ hæ ille voluptatis Paradiſus, in quo prohibiti fructus jugiter decerpti, guſtu primùm ſuaves, mirifice oblectant, poſtea verò amari, infernalibus cruciatibus mulctant Siphylidis emeritos milites, qui experti tandem, inexpertis, qvibus dulce hoc bellum, ſero acclamant illud *Horatii:*

Deſine matronas ſectarier, inde laboris
Plus haurire, mali eſt qvam ex re decerpere fructum.

Tanta ſane ut ſit malorum blandities, ſub deliciarum tamen melle pertinaciſſimorum morborum abſcondit aculeum. Experiuntur id non rarò incauti artis amatoriæ tirones ac noviter nupti, qvi dum cupediis hisce fruuntur nimium, tantum abeſt ut pingues inde evadant, ut potius defloreſcant ac miſerè conſumantur. Non obſcurè ærumnas has præ ceteris nobis depingit *Tabes* dicta *dorſalis*, cujus cùm non adeo incognitum quidem ſit nomen, res tamen ipſa forte non omnibus æque perſpecta, quod vix alibi, præterqvam in *Hippocraticis* libris, eandem plene deſcriptam invenimus, o-

peræ pretium eſſe duxi, ſpeciminis inauguralis loco hujus indolem rimari penitius, & qvæ mihi circa hunc affectum obſervare licuit, ſimul exponere. Adſit Divinum Numen conatibus meis Clementiſſimè!

I.

ANte verò qvam rem ipſam aggrediar, ſive nominis quædam ambiguitas, ſeu ipſius affectus varia acceptio expedienda, & quid per eum intelligendum ſit, paucis exponendum venit. Ubi notandum, non dorſi quoddam malum hoc nomine à medicis indicari, ut ſubjectum ſeu locus affectus ſimul innuatur, ceu ſolet aliàs fieri; ſed utcunque à cauſa, apparente ſaltem, denominationem iſtam eſſe petitam: ut non dorſo, ſed ex dorſo laborantem deſcribat. Impoſuit autem hoc nominis morbo ipſa antiquitas, cum jam in *Hippocrati* attributis ſcriptis occurrat, unde in reliqua translatum eſt. In Græco legitur Ἡ νωτιὰς φθίσις, quod, tametſi non niſi de uno affectu dicatur *libro II. de morbis*, alibi tamen occurrentibus, ubi eadem obtinet ratio, etiam applicari ceptum eſt.

II. Non enim una, ſed varia tabes è dorſi affectione oriens, in laudatis *Hippocraticis* libris, deſcribitur, quamvis eodem nomine non niſi prima, expreſſis quidem verbis dictis in locis inſigniatur: quod contra *Petrum Salium* moneo, qui in eo ſibi nimium ſumſit, cum in locis citatis non *Tabes dorſalis*, ſed vel *alia Tabes* vel *Alius morbus* legatur. Præcipuus forte eſt & quod genus morbi frequentiſſimum depingitur, quem modo citavimus *II. de morbis text. 49.* ubi affectus intelligitur, qui oritur à nimia Venere, quando excretione ſeminis, (quod juxta auctoris hypotheſin à cerebro ad genitalia affluit per ſpinam dorſi:) involuntaria ægri vires ita enervantur, ut elumbes planè reddantur & exareſcant. Locus ipſe à nobis infra integer adducetur. Interim ut exemplo

res,

res clarior evadat, prodeat ex *Lib. VI. Ep. Sect. 8. tex. 47. æger* de qvo ſequentem hiſtoriam conſignat : *Satyrus in Thaſo, cognomento Grypalopex ; cum eſſet annorum circiter viginti quinque, ſemen per ſomnum effudit ſæpè, & interdiu quoque ipſi ſæpè prodibat : cum autem ad trigeſimum perveniſſet, tabidus fiebat, & mortuus eſt.*

III. Secunda ſpecies cujus ibi fit mentio, oriri dicitur à copioſori ſanguine in ſpinam dorſi irruente, ut copiâ ejus nativus ac inſitus ſpinæ Dorſi calor obruatur, ac ſenſim extinguatur. Deſcribitur hæc *Libr. II. de inter affect. Tex. 13.* Triplicis enim tabis ibi meminit auctor : Prima ipſi eſt cum caput pituita plenum eſt, quæ ibi computreſcit, & calor intus ſuboritur : altera ex vehementi labore oritur : in tertia ὁ μυηλὸς ὁ νοτιαῖος, αἵματος δὲ μεστὸς γίνεται. *Spinalis medulla ſanguinis plena exiſtit.* Ejus exemplum haberi putatur *V. Epid. 4. 25.* in hiſtoria viri in Oeneade, *qui cum ab alimentis non reſtauraretur, ſed indies magis contabeſceret, venâ ſectâ in utraque manu, ſanguineque extracto, quousque exſanguis redderetur, hoc ſolo remedio perfecte liberatus eſt, cum omnia in caſſum antea tentata fuiſſent.*

IV. Tertia ſpecies *Libr. de loc. in hom. Tex. XIIX.* nobis proponitur, ubi fluxiones ex capite ſeptem fieri exiſtimatur, ex quibus quæ hujus loci eſt, deſcribitur his verbis. *Cum in medullam fluxio contigerit, tabes occulta ac inconſpicua oboritur.*

V. An eadem cum hac eſt quarta, quæ *Lib. de Glandulis tex. X.* depingitur hoc modo: ἀλλ' ἡ νοῦσος διὰ φλεβῶν ἐπὶ νωτιαῖον ἀπὸ καταῤῥου κεφαλῆς. ἀΐσσει δὲ ἐνταῦθ' ἐπὶ ἱερὸν ὀστέον, ἄγων τὴν ἐπιῤῥοὴν ὁ νωτιαῖος, καὶ ἐναπέθετο τῇσι κοτύλῃσι τῶν ἰσχίων καὶ ἢν ποιέῃ φθίσιν, καὶ μαραίνεται ὁ ἄνθρωπος ὧδε καὶ ὧδε, καὶ ζώειν οὐκ ἐθέλει. Ταχὺ γὰρ πονέει τὴν σπάθην, καὶ ἅμα τῷ πόδε καὶ μήρω παρέπονται, καὶ αἰεὶ τελέως ὄλλυνται χρόνῳ πολλῷ μελεδαινόμενοι, καὶ οὕτως (ubi in editione Foëſiana malè οὔτε legitur & contra ſenſum auctoris) ἀπηύδηκε καὶ θνήσκει. *Alius morbus à catarrho capitis per venas in medul-*

 lam,

lam ſpinalem defluens: Irruit autem hic in ſacrum os, medullæ ſpinali defluxionem eò ducente, & deponitur in cotyledones coxendicum, & Φθίσιν inducit, & homo contabeſcit ubique (hic atque illic) & cum tædio vitam trahit, brevi enim ſcapulæ dolent, & mox pedes ac femora ſequuntur, & ſemper tandem, longo tempore curati, pereunt, & conſumti moriuntur.

VI. Enumeratæ autem affectiones omnes, etſi in ſe diverſiſſimæ, communi tamen nomine Tabis dorſalis ab *Hippocratis* interpretibus deſignantur, quoniam exiſtimari ab auctore ſuo, & recte quidem, putarunt, in his omnibus medullam ſpinalem malè affici, ex eaque prave affecta corpus reliqvum contabeſcere; prout uberius videre eſt *in Petro Salio Diverſo Comm. in II. de Morb. tex. 49.*

VII. Cum autem de unaquaque re tria poſſint ac debeant quæri: primum An ſit deinde Quid ſit, tertio, Quibus de cauſis, ante omnia nobis inquirendum jam erit, num iſta tabis genera exiſtant: poſſet enim forte quis non injuria dubitare. Quamvis enim, ſi celebratū modo auctorem, interpretem aliàs *Hippocratis* longè doctiſſimum audias, tres ultimas differentias reperiri, non videatur amplius incertum, cum in his affici medullam, perſpectiſſimum is eſſe ajat, *Hoc*, inquiens, *de tribꝰ ultimis differentiis perſpectiſſimum eſt; cum in earum prima medullæ ſpinalis calor inſitus à copioſori ſanguine obruatur & ad extinctionem deducatur: in ſecunda occluſis meatibus, per quos nutrimentum ad eam defertur, reſiccetur: in tertia à prava deſtillatione liqueſcat & abſumatur.* Si tamen experientiam & rationem, binas illas artis & veritatis regulas ipſis curatius applices, vereor ut ſe illis ex toto accommodent. Quod enim *Salii* expoſitionem concernit, eam recitaſſe idem fere eſt ac refutaſſe. Cauſæ enim quas affert planè non inveniunt locum. Nam primo, calor inſitus medullæ nullus eſt, & ſi eſſet, atq; à ſanguine poſſet ſuffocari, ut ellychnium nimio oleo immerſum extinguitur, id uno fieret impetu, non ſenſim. In ſecunda vero occludi nutrimenti meatus & eam reſiccari,

ri, etiamſi concederetur, qui tamen poſſet inde totius corporis tabes oriri, niſi ſuccũ nutritium per eam deferri ſtatuas, non patet: neq; verò etiam liqueſcere eam unquã obſervatum eſt, neq; ab influxu humorum id fieri ullo modo poſſet. Sed rei omnis vanitas etiam alio modo pateſcit. Non enim tantùm exempla earum omnium apud probatos practicos vix reperiuntur, verùm & iſthæc rationi minimè ſunt conſentanea. Quod enim primam ex his ultimis attinet, quisquis in *VVilliſii Anatomia cerebri* hoſpes non eſt, & quam ſollicite natura in ſanguinis per ſpinalem medullam decurſu ſe geſſerit, ne unquam illic poſſet ſtagnare, ab eo perdoctus eſt, facilè illius obſtructionis difficultatem perſpiciet. Quæ, ſi tamen eveniret ſimulque *VVilliſiani ſinus* rumperentur, non nutritionis, ſed ſenſus motusque abolitio, nec illa novem annorum ſpatio, ſed ſubitò foret metuenda: accideret nempe, quod eodem ſanguine in cerebrum effuſo, novimus conſequi, nimirum ipſamet Apoplexia, uti id quidem doctè & accurate docet peculiari ſcripto præcipuum ſeculi decus, Clariſſimus *VVepferus*. Hinc etiam *Proſper Martianus*, incomparabili judicio interpres alter, cum abdicare Magiſtrum hunc ſuum nunquam ſoleat, commodam explicationem quærere & levem hanc compreſſionem à tenui materia aquoſa, pituita & bile mixta, contra ſenſum illius loci confingere eſt coactus. Et licet ingenioſiſſimum eſt, quod ex *V. Epid.* ſubjicit exemplum viri in Oenade, quod nos modo attulimus, nec minus ingenioſe (quo ſcrupulo diſſentientium occurrat) ſubjungat ex media experientia petitum dogma: *Quàmvis ſpinalis medulla non ſit via alimenti, tamen ſpiritu animali deficiente tandem partes extenuari*: hoc ipſo tamen non evincere videtur hujus morbi exiſtentiam. Nam ex allato exemplo ægrotum iſtum ſpinalis medullæ obſtructione ex ſanguine laboraſſe colligi non poteſt, ſed potius talem hujus fuiſſe craſin exiſtimare licet, ut chylum allabentem ſibi aſſimilare & ulterius immutare non potuerit, totus autem ſublatus, novam

orſus

orſus eſt fermentationem. Ratio verò allata, etſi veriſſima ſit, non tamen ſine motus & ſenſus læſione (cujus hic nulla ſit mentio) accidere potuiſſet. Simile quid legitur de tabe ſola ſanguinis miſſione curata in *Anton. Benivenii Obſerv. ſive de abd. ſanationis cauſis libello, Dodonæi obſervationibus ſubjuncto, obſ. 40.* Ubi tamen neutiquam ex medullæ obſtructione, ſed menſium fluxu intercepto ea acciderat: ut pateat non ſtatim eſſe hinc argumentandum ad illam. Notatu etiam dignum quod ibi legitur additum, *craſſum ſanguinem ac nigrum primum effluxiſſe*: qualis omnino ineptus erat quo corpus nutriretur.

IIX. Nec forte ſecundum *Salii*, noſtra verò enumeratione tertium hujus morbi genus anatomica ratio tam facilè admittet. Cum enim nihil ſpirituum viis obſtruendis tenui pituitâ ſeroquè posſit eſſe aptius, illud omne à cerebri medulla, ex qua in ſpinalem debebat influere, eâdem natura providentiâ coercuit, multoquè ſtudio avertit; dum ubique, ubi plexus poſuit (nam hic, neq; alibi ſerum à ſanguine poteſt ſeceſſum facere) ventriculorum exſtruxit cavitates, ex quibus apertus & facilis ad infundibulum eſt delapſus. Manavit autem ex eo hic error *Hippocrati*, vel ſi quis alius horum eſt Auctor, quod caput eſſe cavum, & tanquam cucurbitulam reliquo corpori ſuperjacere credebatur. Quæ ſententia ex illo usq; ſeculo ad nos pervenit & conſignata legitur cum *libr. de Glandulis*, tum *Libr. IV. de morbis*. Unde vaporationes reliqui corporis ſuſcipere & colligere excrementa antiquis illis temporibus concludebatur, non ſecus ac vapores in operculo ollis vitreis impoſito laboribus chemicis intenti videmus condenſari. Vide laudatum ſupra *Salium Comm. ad Libr. citat. I. tex 8.*

IX. Hoc omne verò cum à veritate alienum & inane eſſe, αὐτοψία oſtendat, cadit primum omnis illa à capite in ſpinalem medullam humoris effuſio, adeoque & quicquid hujus ad quarto loco enumeratam morbi noſtri ſpeciem pertinet, ſponte evaneſcit. Et quamvis *VVil-*

liſius

liſius libro quem *de Spaſmodicis affectibus* inſcripſit, operoſe conetur oſtendere, à ſero in principium nervorum & medullam oblongatam, indeque in nervos ipſos effuſo eos tantum non omnes inferri, adeoque hanc viam illi apertam velit, tamen curatius eam rem expendenti fallacia patebit. Obſervare enim licet, in ventriculis & interſtitiis cerebri eum non raro magnam ſatis humoris copiam inveniſſe, at in ipſa ſubſtantia medullari & nervis eum quicquam ejus vidiſſe, nullibi comparet, quæ tamen longè ſunt diverſiſſima. Nam comprimi quidem hoc pacto cerebrum potuit, ſed obſtrui aut affici intimius non potuit. Idem verò noſtro argumento de ſpinali medulla eſſe colligendum, oppido liquet.

X. Quare nihil etiam nos movet quæ idem clariſſimus vir *Pharm. Rat. p. II. ſect. 1. c. 5.* in hanc rem differit, dum ait, *ſe hoc genus ſæpius obſervaſſe.* Videtur enim in hoc ipſo obſervando à præjudicio, quod cum non paucis popularibus ſuis, egregiis aliàs viris, in animum admiſit, ſuccum nutritium per nervos influere, fuiſſe deceptus. Sic enim quid obſervaverit refert: *Quosdam dolore circa lumbos vel in toto dorſo miſerrimè vexatos, gibbos claudosque evaſiſſe, & tandem toto corpore, capite excepto, inſigniter contabuiſſe.* Ex quo de influxu illo de quo controverſia eſt, nihil licet ſuſpicari, potuit enim dolor ille multo facilius in externis ſpinæ partibus quàm in ipſa medulla ſuboriri. Quin hæc omnia nil præter gibboſitatem ex tuberculis, in ligamento communi ſpinæ natis arguunt, de qua alibi prolixè & accuratè egit *Hippocrates*. Atrophiam autem partium ſub capite ſitarum gibboſis eſſe propriam, adeo notum eſt, ut quod notiſſimum. Nec tamen hoc ſymptoma à quoquam tabes dorſalis dicitur vel habetur, illiusque rei cauſa alibi indagatur.

XI. Ne tamen hoc tabis dorſalis poſtremum genus è morborum cenſu ex toto ejiciamus, facit ſummorum in arte virorum auctoritas, qui licet non pror-

 ſus

ſus eadem omnia quæ *Lib. de glandulis* leguntur, & ex quibus defluxionem ex capite in medullam colligere liceat, ea tamen obſervarunt, quæ defluxionem in ſpinam parteſque ejus externas lumboſque, cum conſequente tabe ſatis perſpicuè ante oculos nobis ponunt. Sunt illi *Guil. Fabricius*, Hildenæ; & *Nicolaus Tulpius*, Amſtelodamenſis civitatis æterna decora: quorum ille *Obſervat. Cent. I. 45.* hic verò *Libr. III. Obſerv. 24.* peregregias rariſſimi hujus affectas hiſtorias annotarunt, quò nos brevitatis nunc ſtudioſi, curioſum lectorem remittimus.

XII. Supereſt primo loco à me recenſitum tabis dorſalis genus, quod in nimia ſeminis à cerebro ad teſtes defluentis excretione, *Autor libri de morbis* poſuit. De hoc autem non ita liquidum eſſe exiſtimat ſupra à nobis citatus *Hippocraticarum* ſententiarum doctiſſimus cenſor *Salius*. Et hæc rectè quidem, ſi ſpectes originem: quamvis ſeminis materia potius ex univerſo corpore ejusq; humido quàm è cerebro ſolo in ſpinalem medullam emitti temporibus *Hippocratis* fuerit creditum, videturquè id fuiſſe communis tum ſententia Legitur illa paſſim, ut *Libr. de Aer. Aq. & Loc.* ubi ὁ γὰρ γόνος πανταχόθεν ἔρχεται. Itemque, & quidem planiſſimè *Libr. de Genitura* ſtatim initio, ubi *viri genituram à ſpumeſcente univerſo humido proficiſci* docet, *ubi id quod robuſtiſſimum & pinguiſſimum eſt, excernitur, & venit in medullam ſpinalem, in quam ex toto corpore viæ feruntur, indeque aliæ ad renes, per quas genitura ex medulla defluit, à renibus autem per medios teſtes ad pudendum*, &c.

XIII. Quamvis autem, hæc omnia, falſitatis convicerit dudum αὐτοψία & corporis noſtri ſollicita perſcrutatio, adeoque de cauſæ hujus affectus ex mente *Hippocratica* falſitate abunde conſtet, ipſum tamen affectum non omnino ignotum eſſe artem facientibus, non eſt negandum. Id quod patet, ſi deſcriptionem *Hippocraticam* ipſam conſideres, quæ citato ſæpius loco talis eſt. *Tabes dorſalis à medulla fit, corripit autem maximè recentes ſponſos & Venerì deditos.* Sunt *autem ſine*

 ſe-

febri; & benè cibum capiunt ac conſumuntur. Et ſi in-terroges ita affectum, dicit ſibi ſuperne de capite in ſpinam velut formicas deſcendere videri, & ubi mingit aut ventrem ex-onerat, prodit ipſi genitale ſemen multum ac liquidum & genitu-ra in utero non manet, & in ſomnis ſemen profundit, ſive dor-miat cum uxore, ſive non. Et cum iter fecerit aut cucurrerit, tum aliàs tum ad acclivem locum, anhelatio ac debilitas ipſum corripit, & capitis gravitas & aures ſonant. Hunc temporis progreſſu, ubi febres fortes ipſum corripuerint, perdunt febres lipy-riæ. Quibus verbis omnia quæ huic morbo unquam ac-cidunt ſymptomata, *Hippocrates* videtur voluiſſe comple-cti, ut infra pluribus patefaciam.

XIV. Patet autem ex his, etſi, quod diximus, non prorſus ignoretur hic affectus, rariorem tamen eſſe quàm ut quilibet ex vulgo medicus eum habeat cognitum. Un-de *Reinerus Solenander Conſ. Med. Sect. V. p. 507.* auſus eſt aſſerere, *in practicorum vulgarium libris medicis præſcri ptum non eſſe, neque ob id vel nomine vulgo medicorum co-gnitum.* Quin etiam viros non infimi ſubſellii vel fu-giſſe videtur vel fefelliſſe, vel dubios de ſe reliquiſſe. Sic Celeberrimus *Williſius Pharm. Ration. L. II. c. 5.* ubi de illo a-git, ita cenſet, *noſtro ſeculo nomen ferè eum amiſiſſe aut mutaſſe in gonorrhœam:* cum haut parum hæc invicem diffe-rant, neque enim omnis gonorrhœa tabes dorſalis ha-benda eſt, etſi omnis hujus quidem generis tabes dor-ſalis gonorrhœam habeat cauſam, & perpetuam comitem. *Clariſſ. Etmullerus in Collegio Practico p. m. 279.* Illam nomi-nat *hecticam novorum maritorum*, minus tamen appoſitè, cum & juvenes matrimonio ſoluti, & ſenes eodem labo-raſſe non omnino nunquam obſervatum ſit. Ceterum ſi penitius rem perpendamus, affectus hic ideo etiam non paucis incognitus eſt, & quotidie praxin medicam ſub-terfugit, quoniam illo affecti orthoſtadii ſunt, comedere ac munia obire poſſunt, & ſenſim atque ſenſim tantùm conſumuntur, ut morbum ſic negligant, aut gonor-rhœam conſumtionis illius eſſe cauſam, exiſtiment,

 aut

aut præ pudore medico detegere nolint. Hinc ſæpe tonſoribus ſe concredunt, qui rerum ignari, gonorrhœam exiſtimantes ad aliquot annos, fruſtra adhibitis ſpecificis, affectum producunt: uti cuidam apud *Solenandrum loc. cit.* accidit, quem nullo auxilio miſerè ſcammoniatis, terebinthinatis decocto lignorum, calculum pellentibus, & aliis ejusmodi excruciarunt.

XV. Sed quo uberius hæc pateant, nunc phœnomena morbi noſtri ordine exponamus. Quod dum agimus, non abs re erit magnum noſtrum morborum magiſtrum, qui eum tam accuratè deſcripſit presſius ſequi; ejusquè verba aliorum aſſenſu comprobare, quo facto, ſi quid ab his poſt illum obſervatum eſt adjiciemus. Offert ſe autem omnium primum & manifeſtiſſimum ſignum, macilentia, ut pulpa carnea nitidâ formâ corpus aliàs veſtiens, notabilem à priſtino ſtatu jacturam paſſa cernatur, & habitum corporis marceſcentem ac enervatum repræſentet. Verba *Hippocratis* ſunt: γίνονται δὲ ἄπυρεοι, καὶ ἐσθίειν ἀγαθοὶ καὶ τήκονται. *Sunt autem ſine febre, & bene cibum capiunt ac conſumuntur.* Ne ſcilicet quisquam putet forſan ex inappetentia aut inedia quadam morboſa hanc ipſam proficiſci: & hoc unicum maximè advertendum putat jam laudatus *Petr. Salius Diverſus quod cum hi non febriant itemque cibum in debita ac convenienti quantitate aſſumant, nihilominus conſumantur ac emacientur.* Nam conſtanter in hoc affectu obſervatum fuit, appetitum ciborum non tantùm ſalvum fuiſſe ſed & majorem ſæpè qvàm in aliis, neque ſtomachum in chyli evolutione aut diſtributione vitium fovere, ſed quanquam nullo urgeantur cibi faſtidio, ejus tamen nullum fructum ſentiunt, penitusque conſumuntur, de quo legi meretur *Lomm. Obſerv. Med. Libr. 2. p. 243.* Idem tradit de ſponſo juvene *Zacutus Luſitanus Pr. admir. Lib. I. Obſerv. 122. Hic licet valente eſcâ uteretur, indies tamen extenuabatur magis.* Idemque in juvene annorum viginti & unius *Excellentiſſimus D. D. Præſes*, ſe vidiſſe meminit. Ipſemet cum mihi juvenem 26.

anno-

annorum per duos annos hoc affectu laborantem videre contigerit; appetitum adeò integrum deprehendi, ut patiens non ſatis mirari potuerit, quomodo fieret, ut in tam larga cibi pleni aſſumptione corpus marceſceret nihilominus. Par ratio eſt abſentiæ febris, de qua plura addere ſupervacaneum judicamus.

XVI. Alterum cujus *Hippocrates* mentionem facit phænomenon eſt nimium ſeminis profluvium: contingit verò id ipſum citra voluntatem aut voluptatis ſenſum, in quo cum gonorrhœa coincidit. καὶ ἐπὴν οὐρέῃ, inquit, ἢ ἀποπατέῃ, προσέρχεταί οἱ θορὸς πουλὺς καὶ ὑγρός. *Dum reddit urinam aut alvum exonerat, ſemen ipſi copioſum profluit & humidum*, id eſt tenue. Ubi notari meretur quod in *Oecon. Hippocratica* advertit doctiſſimus *Foëſius*. *Galenus* ait, *in Prognoſ. Com. I.* θορὸν *&* σπέρμα *quibusdam diſtingui innuere videtur, quod* θορὸς *ſemen ipſum & ſeminis excretionem indicet,* σπέρμα *verò ſeminis inſitam genitalem vim, non ipſam ſeminis ſubſtantiam. Vide quæ adjungit, de vocis origine.* De cætero ut mictio chyloſa omnis aliàs, ſic etiam hæc ſeminalis in noſtro morbo omnium rariſſima, nec à quoquam poſt *Hippocratem* obſervata videtur, licet alias quidem non omnino nunquam, & aliquando ſine incommodo, qualis per integros viginti annos à *Platero* in ſe ipſo obſervata eſt, aliquando verò cum atrophia manifeſta, ut à *Timæo Libr. III. caſ. 43. & Miſc. Curioſ. Dec. I 89.* notata legitur. Quod autem addit: γονὴ οὐκ ἐγγίνεται, *genitura in utero non manet*, illud rationi utique conſentaneum eſt, ut cuique facile liquet. & reſpondent obſervationes; ita ut etiam mulieres fluxu albo correptæ non ſoleant utero ferre, ſed ſteriles ſint. Nam vox οὐκ ἐγγίνεται, etſi vulgo interpretetur, *in utero non manet*, quia *Cornarius* ita vertit, ex quo in alios codices inſertum eſt, non tamen id vult, ſed non prolificum eſſe. Doctisſimus *Foëſius* in hunc locum dicit: *Hoc eſt: generatio non fit, neque ſemen quod emittitur, eſt prolificum, ſed copioſum & liquidum, quale ſolet eſſe iis, qui inter dormiendum ſemen profundunt, & Venereis ludibriis*

ditillantur. Quibus conſentanenm quoque dicit *Salius.* Pertinet vero huc etiam illud quod initio ſuæ deſcriptionis habet *Hippocrates:* λαμβάνει μάλιϛα νεογάμȣς, καὶ Φιλολάγνȣς. *Corripit autem maxime recentes ſponſos, & Veneri deditos.* Pollutio nocturna frequens etiam ſupervenit, monente id *Hippocrate* his verbis : καὶ ὀνειρώσσει, κἂν συγκοιμηθῇ γυναικὶ, κἂν μή. *& in ſomnis ſemen profundit, ſive dormiat cum uxore, ſive non.* Sane ille quem vidi, ſæpius idem patiebatur, ac tanto inſuper Venereo oeſtro ad fœminarum conſpectum agitabatur, ut ſe timere ſæpè diceret, ne teſtes, mirum quantum tumentes, à turgeſcentia ſeminis aliquando rumperentur. Qui licet admodum debilis eſſet redditus, ob id tamen appetitus Venereus ipſi non omnino perierat, forte quod in emaciato corpore exquiſitior ſenſus, & humorum dulcedine ſecreta, acrior ſalium ſtimulus ſentiretur : maxime, cum quantitas ſeminis non deeſſet, quod juxta *Hippocratem* multum ac liquidum prodibat : quo ipſo ejus cruditas, qua minus digeſtum ſit, ac generationi ineptum, manifeſtatur.

XVII. Tertium in *Hippocrate* deſcriptum ſignum offendimus ſenſum vermiculationis in ſpinali medulla. Ἢν ἐρωτᾷς αὐτὸν, Φήσει οἱ ἄνωθεν ἀπὸ τῆς κεφαλῆς, κατὰ τὴν ῥάχιν κατέρχεσθαι δοκεῖν οἷον μύρμηκας. *Si interroges ita affectum, dicet ſibi ſupernè velut formicas deſcendere videri.* Cui ſigno tota ejus pathologia fere ſuperſtructa eſſe videtur, dum juxta eum ſemen ex cerebro per ſpinalem medullam transire debet. Verùm nullus poſt illum, unico excepto *Lommio*, hoc obſervaſſe ſe affirmat, neque noſter ægrotus formicas has unquam potuit perſentire, nec in illis quos *Excellentiſſimus D. D. Præſes* ſub manibus habuit, tale quid patuit, ut forte dubium videri queat. Non tamen omnino negaverim accidiſſe: ut enim in febribus & aliàs ſæpè nonnunquam etiam levi de cauſa, talem horripilationem, non in dorſo tantùm, ſed per totum corpus quoque in rectè valentibus obſervamus, ſic nihil obſtat, idem debilitatis & variè vexatis ægris ſupervenire.

XIIX. Quar-

XIIX. Quarto loco occurrit anhelatio, quo pertinent illa: *καὶ ὅταν ὁδοιπορήσῃ ἢ δράμῃ, ἄλλως τε, καὶ πρὸς ἔπος, ἆσθμά μιν καὶ ἀσθενείη λαμβάνει.* & *quum iter fecerit aut cucurrerit, tùm aliàs, tum ad acclivem locum, anhelatio ac debilitas ipſum corripit.* Non aliter ſcilicet ac in cachecticis aliàs accidit, quando loca acclivia petunt, aut currunt, ut ſpiritus ipſis fit difficilis: quod in noſtro quoque ægro frequentiſſimum erat. Communiſſimus denique multorum morborum comes dolor capitis quinto accedit loco: *καὶ τῆς κεφαλῆς βάρος,* & *capitis gravitas*, isque aliquando acutus ac vehemens ſatis cum conjuncto aurium tinnitu hic ſe ſiſtit, *καὶ ὦτα ἠχέει.* & *aures ſonant.* Ubi in ſpecie notandum occurrit omnia hæc accidere primum citra febrim, ubi verò chronicum tandem malum factum eſt, temporis progreſſu corpore malè affecto & viribus hinc omnibus admodum labefactatis, febres lentæ ac putridæ dictæ ſuccedunt, in quibus partes exteriores frigent, interiora verò uruntur, quod febris lipyriæ proprium eſt, quæ ſenſim ac ſenſim fortiores ac vehementiores factæ, tandem confectum viribus ægrum e medio tollunt: quæ omnia his verbis innuit noſter: *τοῦτον ἐν τῷ χρόνῳ, ὅταν ἐπιλάβωσιν πυρετοὶ ἰσχυροὶ, ἀπώλετο ὑπὸ λειπυρίου.* *Hunc temporis progreſſu ubi febres fortes ipſum corripuerint, perdunt lipyriæ.* Et hæc tragediæ eſt cataſtrophe.

XIX. Adnumerat his *Lommius libr. 2. Obſ. p. m. 242.* plura adhuc alia, ut colli, lumborum, ac crurum dolorem, ita ut inflecti quandoque nequeant, imò alvi ac urinæ difficultates, quæ omnia longiori morâ in corpore cacochymico reddito enaſci potuerint facillimè. Digna ſunt verba Auctoris quæ hic legantur integra. *Quo magis* inquit *morbus inveteraſcit, eo magis omnia homo dolet, & crura veluti ab aqua intercutem intumeſcunt: nonnullis ulcera à lienbis emergunt, quorum alia ſaneſcunt, alia rurſus enaſcuntur: Tandem orta gravi ſuffuſione, homo penitùs occæcatur. Illud quoq; à nonnullis obſervatum eſt, intermittere aliquando hoc vitium & denuo redire conſueviſſe, quod per ſeptenaria fieri quidam medicus*

ditus, quem hoc affectum occæcatumq; morbo novi, tum in ſeſe ipſo tum in plerisq; aliis animadvertit. Quæ ita accipi par eſt, ne in omnibus illo morbo affectis omnia iſthæc adeſſe aut ad eam ut eſſentialia deſiderari, credamus. Uti ne quidem ipſius *Hippocratis* ſigna vel omni tempore vel omni ægroto adeſſe conſtat, ſed extremè laborantibus tantùm & peſſimè habentibus, & conſummato omni ex parte malo. Quod autem auctor hic de periodico reditu ſcribit, verum ſit an non, donec obſervationibus aliorum confirmetur, ſciri non poteſt: non ſit autem veriſimile.

XX. Ex collectis inter ſe phœnomenis amplius difficile non eſt morbi hujus naturam integrè perſpicere, ejusque allegare cauſas: quæ ut apertius proponantur, ſingula nunc ſymptomata hactenus ſollicite enarrata ſeorſim expendemus. Occurrit autem prima ſtatim fronte atque acie collocata atrophia ſeu totius corporis conſumptio. Hæc cum vel (1) à ſucci nutritii defectu vel (2) ejus dyſcraſia, vel (3) viarum chyliferarum perverſitate, vel (4) caloris cum ſanguine influentis penuriâ, vel (5) ſpirituum influxu negato, vel (6) partium nutriendarum textura vitiata neceſſariò proveniat, patet ſtatim, non eſſe in cauſa hanc poſtremo nominatam, quia nunquam in toto corpore ejusmodi textura dari poteſt; quippe quæ tantùm in atrophia partium locum invenit, reliquas verò in conſummata utique quid conferre poſſe, ſed tanquam primarias neutiquam eſſe admittendas putandum eſt, unice verò accuſandam eſſe primam illam, ſucci nutritii defectum, manifeſtum ſeminis profluvium illudque perpetuum patefacit. Quo enim poſito, ponitur, ſublato tollitur effectus, id ſine dubio, ſi modo connexionis ratio patet, pro vera & genuina ejus cauſa habendum eſt.

XXI. Nec difficile eſt dicere, quomodo hæc illam inferat: cum enim citra dubium ſemen nutritii ſucci, quo corpus noſtrum ſuſtentatur pars ſit ſubtiliſſima, ejusve quaſi flos, eo ſubtracto, & maxima copia identidem ex-

creto

creto parum ejus poteſt appellere. Hæc ipſa autem ſeminis profuſio, quam agnoſcat cauſam, obſcurum non eſt. Non enim ignoramus partium organicarum elaterem, ſive quod idem eſt, tonum, fibrarumque robur lædi inſigniter. Quod ita eſſe, ſalacitati nimium indulgentes cotidie experiuntur, ſemper enim magis magisque debilitari partes genitales, ut cum ſaltu ſemen vix amplius prodeat, triſti ſed ſerâ pœnitentiâ tandem deplorant; à quo ſtatu ad profluvium perpetuum proximus gradus eſt. Narravit mihi *Excell. D. Præſes*, in Italia ſe vidiſſe juvenem qui frequenti coitu ita debilitaverat has partes, ut ne urinam quidem longius à corpore rejicere amplius potuerit, rectâ lineâ ex penis orificio in terram perpendiculariter eâ prolabente. Quod vitium ſenibus quoque eveniſſe alibi, naturali imbecillitate partium, idem meminit. Difficultas tamen aliqua hic nos videtur urgere, quod non pateat quomodo ex teſtibus pendulis ad uretram ſine ſaltu aſcendat ejiciaturve ſeminis materia: id quod fieri ſaltim in juvenibus, à nobis ſupra enarrata evincunt. Cujus rei cauſa ſine dubio illa eſt, quod laxatis partibus, viaque omni patula à ſubſequente per arterias ſanguine, pulſu cordis urgente, ſemen ipſum ex eo jam ſecretum extrudatur. Quod non fit in aliis, quia in his ſanisque corporibus non æque laxa ſunt vaſa ſpermatica. Facilius autem hoc exturbatur, quia tenue plus juſto eſt & acrius ipſasque partes ad ſui excretionem ſtimulat urgetque.

XXII. Neque illud obſcurum eſt, quo pacto tanta ejus copia huc affluat, quod veteres attractione fieri putarunt: In qua nobis opitulatur ſummorum virorum induſtria, quâ continuo hoc affluxu tandem dilatari ſpermatica vaſa conſtat & fieri ampliora, in quod unum *Veſalium* citaſſe ſufficiat, qui incomparabili de *Fabr. Hum. Corp. opere L. V. c. 13. in cujusdam ante ſuſpendium invo utario ſeminis fluxu laborantis cadavere ſe conſpexiſſe ait, hos meatus omnes apertos laxosq;, eos potiſſimum, qui ex teſtibus in de-*

 ſe-

ferentis vaſis revolutiones gyroſq́; pertingunt, ex quibus dextrum ſiniſtrumq́; deferentia ſemen vaſa in veſicæ cervicem terminantur: Sed etiam ſubinde inanitis his, pulſu cordis irruens ſanguis, locumque vacuum nactus, implet denuò teſtes, impletosque ad excretionem ſtimulat. Quamvis non ſit ſilentio involvendum, forte & proſtatas & veſiculas ſeminales, ſuum hic ſymbolum conferre: Cum nihil abſurdi ſit ſtatuere, in illis tenuem illam materiam eadem de cauſa, qua in teſtibus verum ſemen, colligi, & magnam abundantiam in ſtatu præternaturali ad eas confluere.

XXIII. His tanquam præcipuis difficultatibus ſuperatis, facile eſt reliqua expedire. Jam enim quomodo in his contentum tenue aquoſum ſemen, ſi tamen ſemen eſt, cum urina effluere poſſit, & præterlabenti miſceri; itemque cur tenuius ſit & minus prolificum, ſuâ ſponte elucescit. Neq; enim craſſum eſſe poteſt, quod juſto tempore ad cocturam deſtituitur, quo in robuſtum & validum corpus condenſetur & ſpiritibus fœcundantibus impraegnetur θορὸς igitur eſt, non γονὴ, ſeu σπέρμα.

XXIV. In medullam verò ſpinalem incurrens affatim verminatio, à tenuiſſimo ac volatili fit fluido, quod, ſpiritibus ſubtilitate eſt par, eorumque corruptorum, forte loco huc invita natura irruit. Neque enim dubitandum, conſumta genuina horum materia, blanda ac volatili pinguedine, acre tale & rigidius minusque illis temperatum in cerebro tandem ſeparari.

XXV. Neque difficilis res eſt reſpirationis læſæ cauſam & quam ob rem per acclivia aſcendentes anhelent, conjectura aſſequi: ita enim ſolent imbecilles, quibus neque ſpitituum ſufficiens copia, neque ſanguinis amplius ſuppetit, ex quibus trahunt lacerti quo pollent, robur. Dolor verò capitis, & aurium tinnitus, flatuoſum ac acre ſerum ſubtili ſua parte orbatum indicant, quod ſpirituaſcit quidem, non tamen jam ſuo modo, & naturæ convenienti, ſed in vanum halitum & effœtum at-

tolli-

tollitur, tumidumque diſtendit affligitque membranas.

XXVI. Denique febres accenduntur & lenta tabes accedit, ubi attemperans ſerum, blandique humores deficiunt, calor verò particulis bilioſis, quas adurendo ſenſim ipſe fabricat, tandem augeſcit, & effrenis ac ſolutus, pinguia reliquá depaſcit, inq; ſuum vertit pabulum, qui tamen crudo & indigeſto chylo identidem intercurrente reſtinguitur, efferatur; modo obtunditur, mox recurrit ac dominatur: qua humorum indole, frigida externa apparent, interna uruntur, non ſecus ac in malignis nonnunquam febribus, donec tandem expediens ſe ab iſtis compedibus calor, liberius vagetur, & tactui ſe ſiſtat totum: quod ubi fit, in conſumpto & imbecillo corpore citá tandem mors naturali & inevitabili lege ſuccedit.

XXVII. Quæ hactenus prolixe diſputavimus, abunde fortaſſis totam mali hujus indolem nobis ponunt ante oculos, ut de ea nunc ſecuri, definitionem tandem confingere nobis liceat accuratiorem: fit igitur illa ſequens. *Tabes dorſalis eſt totius corporis atrophia, à profuſione ſeminis immoderata dependens.* GENERIS loco atrophiam poſuimus, ceu eſſentiale ac inſeparabile læſæ nutritionis πάθημα maximè ocularem inſpectionem incurrens. SPECIFICE verò DIFFERT à vulgari, quod manifeſtam hæc agnoſcat cauſam ſeminis excretionem vitioſam, quam ſymptomata ac reliqua accidentia ſupra recenſita vel præcedunt, vel preſſo pede inſequntur SUBJECTUM autem primarium corpus ſtatuimus univerſum, quoad partes puta pulpoſas, carneas ac pingues, quæ præ ceteris labem hanc à vitio quod radicaliter in ipſis partibus ſeminalibus ceu cauſæ ſubjecto hæret, perferre coguntur Cum tamen omnes partes æqualiter defraudentur ſuo alimento; viſcera interna ac ipſa quoque oſſa, ab hoc vitio abſolvi forte nequeunt, quorum functione evidenter læsâ, neceſſariò corpus torpet lanquetque: Licet enim oſſium textura ſolidior ſit, ut adeò notabilem jacturam pati nequeant ac molliores partes, aridiora tamen fiunt non mi-

 nus

nus ac illæ, & exſiccantur, conſumta quæ in poris ipſorum reperitur,illaq; vegetiora reddit fluidâ pinguedine.

XXVIII. CAUSÆ nunc inveſtigandæ erunt, & omnium prima quidem IMMEDIATA, quam denegatum chyli appulſum ad partes eſſe, ex dictis liquet. Quo ipſo, quemadmodum à reliquis tabis generibus diſcrepat, ita cum fluxibus chyloſis eam habet communem, de quibus eruditam vidimus *Klugii diſſertationem* ante hos decem annos editam, quam non poſſumus non hic commendare. His ſane proprium eſt,quod nulla ſucci nutritii culpa ægri marceſcant, quippe qui nec alendis partibus ineptus eſt,nec ullis peregrinis qualitatibus corruptus, ſed blandus & apponi aptus,uno verbo alibilis exiſtit,ventriculo alimenta juſtâ quantitate aſſumta ritè digerente, & ſalvo exiſtente appetitu, ut nullæ cruditates hic timendæ ſint: Sed neque viarum interceptio accuſari poteſt, nam neceſſariam hanc vitæ alimoniam illuc ferri nihil prohibet, licet ſubtrahatur medio itinere,ac aliorſum & quo non debebat, amandetur, quo facto aliter fieri nequit, quin emacietur corpus ac marceſcat.

XXIX. Sed etiam illud oſtendimus,Quorſum abeat ſuccus hic laudabilis, & quænam cauſa illa ſit,quâ mediante alienatio hæc promoveatur.Unicè nempe id crebro humoris genitalis diſpendio deberi, abunde eſt demonſtratum: quod ulterius confirmatur ex eo, quod manifeſtum ſit, novos nuptos, in quibus morbus hic præceteris conſpicabilis eſt,in cœlibatu optimè degiſſe; jam verò ubi nimiam huic negotio operam navarunt, eodem miſerrimè labefactatos eſſe.Confluit nimirum ad ſpermatica vaſa omnis fere laudabilis ac florida chyli portio,quæ æqualiter aliàs in corpus diſpenſari debebat.*Vide quæ theſi XXII. à nobis allata fuerunt.*

XXX. MEDIATA REMOTIOR cauſa, non alia eſt quàm nimis crebrò exercita libido & immoderata Venus. Nam quod aliis de cauſis hoc malum quisquam incurrerit, nullis quod ſciam, obſervationibus conſtat:

etſi

etſi non negaverim læſis aut vulneratis per imperitos chirurgos proſtatis, aut veſiculis affectis ulcere, ſimile quid poſſe inferri noſtro malo. Quod autem impunè exceſſum hunc ferant nonnulli, ob diverſum corporis habitum accidere credibile eſt: rarioris enim texturæ qui ſunt, quales ſunt ſanguinei; aut calidiores & ſicciores, ut cholerici, facilius præ aliis læduntur, quare ex *naturalium* claſſe *temperamento* aliquid tribuere, abſurdum non videtur. *Sexum* quod concernit; viris tantùm competere hæc videtur paſſio; Mulieres enim cum ſemine careant, qui poſſent illius profluvio emaciari? Fluor tamen albus huic affectui aliqua ex parte reſpondet, qui ſi diutius duret, non minus corporis vires dejiciuntur, corpusq; enervatur, ac palam depaſcitur, ut quotidiana experientia ſatis conſtat. Ratione *ætatis* quidem maximè juvenibus accidit, qui corpore adhuc florido ac in venerem proni ſunt, non excluſis tamen libidinoſis & intemperatis ſenibus. Quin obſervatum fuit, morbum virili ætate admiſſum, ad extremam usq; ſenectam hæſiſſe. Præter hæc ipſa, occurrant adhuc quædam ex nonnaturalibus, & maximè omnium quidem *aëris* ſtatus pluvioſus ac juſto frigidior, qui tametſi generare hujus affectus cauſam nequeat, nocere tamen laborantibus eo, experientia teſtatur. Nam quod hunc affectum *Ronsſeus Epiſt. 23. tum propter victus rationem, tum loci ipſius uliginoſitatem Hollandis familiarem ac propemodum indigenum eſſe* ſcribit, veritati minime eſt conſentaneũ: cum nec ſimplicem gonorrhœam, (quam hic intellexit forte) aëris conſtitutio alio modo, niſi qua falſioribus ſcatens particulis, acrimonia ſua in Venerem magis concitat corpora, excitare poſſit. Eodem modo & *Motum* nimium, qui valde debilitat, & anheloſos reddit ægros; *Alimenta* aphrodiſiaca, & lautiora, quæ ſtimulant, *vigilias & lucubrationes* quæ exſiccant, *curas ac animi perturbationes* quæ enervant, multùm etiam huc conferre, negandum non eſt.

XXXI. Cum autem morborum ſimilitudines, ſæ-

ſæpenumero medentibus imponant, ut morbi inter ſe faci- lè confundantur, quomodo ab aliis diſcerni queat ſubjungendum eſt. A Phthiſi igitur proprie dicta ac pulmonali, ſubjecto cauſæ; a hectica conſumtione, quod febris abeſt; ab atrophia reliqua omni, cauſæ ipſius ratione differt. Quæ quidem dum adhuc in principio eſt, nec contabeſcentiam comitem habet, nomen ſervat: ulterius progreſſa, ubi laxavit nimium quantum ſpermatica vaſa, debilitavitque teſtes, reliquumve ſpermaticum genus, ita ut apertè in tabem declinet corpus, jam morbus ex morbo natus judicandus eſt, & illa cauſæ naturam induit.

XXXII. *Prognoſin* autem quod concernit, lethalem illam eſſe non putamus, ſed tam cauſæ quàm ſubjecti ratione omnino curabilem dicimus, corpus enim utplurimum juvenile adhuc eſt, & cauſa morbifica in primariis viſceribus non hæret: Quodſi longiori morâ in hecticam jam mutata eſt, eadem quæ illam fata eam manent, nec facile adeo, tamen tolli adhuc poteſt: Ubi verò tandem & febriles accedunt paroxyſmi, & calor lentus, raro vel nunquam morbus cedit medicamentis: indicio enim eſt, ita tunc ſanguinis craſin eſſe perverſam, atque omni ſeroſo & dulci ſucco privatam, ut nullum calor temperamentum recipiat. Igitur ubi augeſcit magis, id eſt *Hippocraticæ* illæ febres fortes ſuperveniunt, actum eſt, neque amplius de reſtitutione, ſed de funere ducendo cogitandum.

XXXIII. Conſideratis itaque ſingulis quæ ad hunc affectum, ejusque naturam indagandam facere poſſunt, nunc de ejus curatione ſolliciti erimus, quam ad ductum indicationum affectui huic debitorum, conſignabimus. Iſtæ autem ex triplici eruuntur fonte: 1. Morbi ipſius conſideratione, quam curativam vocant 2. Cauſæ quæ præſervativa appellatur & 3. Sumptomatibus, quæ eſt vitalis. Morbus itaque noſter cum ſit atrophia, univerſalem illam indicat partium nutritionem reſtituere. Quod etſi primo intuitu analepticis fieri oportere, videri queat, cum

tamen non deſit chylus, ſed avertatur, præterea inclinatio in Venerem ac ſalacitas quovis modo reſtinguenda ſit, patet, hæc non modo non eſſe neceſſaria, ſed ne locum quidem habere poſſe. Modo enim cauſa deſinat, & averſus ac aliorſum abductus alimentalis ſuccus reducatur, res omnis in ſalvo eſt; quam ſic moliri licet.

XXXIV. Si ſerum acrius fortè peccet, quod ex proclivitate ad coitum, & appetitu veneris nimio conjecturari poteſt, ante omnia.

I. *Pars ejus eliminanda, & corpus purgandum.*

Præeunte inprimis ipſo *Hippocrate*. Hoc autem nolim fortioribus fieri, magisque draſticis, ne ſerum ex ſe tenue magis fundatur, ſed *foliis ſennæ* ferè, *dulcibus prunis*, *aut acidulis tamarindis* temperatis: Illa enim videntur addi, ne acre *ſenne* ſibi relictum, nimis incidat. cui *ſirupus de cichr. c. Rhab.* addi poteſt. Maximè enim hic conducent talia quæ ſimul humectant, nec nimis calida, ſunt, indeque majorem ſiccitatem inducunt: id quod ipſa materia qua conſtant, decocta & infuſa præſtant, quorum forma præceteris *Hippocraticæ* conſentanea eſt, nec inconſulte ex *rhabarb. epithim. cryſt. Tartar.* & ſimilibus, additis pro renata alterantibus & corrigentibus parari poſſunt. Pilulæ, quia exſiccant, minus commodæ ſunt, *aloëticæ* præprimis. Quodſi tamen fortiora vel ægri conſtitutio vel humoris pertinacia poſtulent, parari poſſunt ex *Extract. panchymagogo Crollii, cathol. Andernaci, rhabarbari, reſina ſcammonii gialappæ*, præmiſſis tamen digeſtivis, ut *arcano duplic. Sale digeſtivo Sylvii, Tinct. Sal. tart. martis, c. arc. tartar.* &c quæ ubi minus arrideant pilulæ, cum *gialappa* ipſa miſceri poſſunt additis aliis v. g. *pulv. laxativ. vegetab. Rolf. cerber tricip.* imprimis verò addi poteſt *merc. dulc.* ceu remedium vitiatæ lymphæ primariò dicatum, & ob id à *Chesneau in Obſerv.* in feminis profluvio ſummòperè commendatum.

XXXV. Idem obtineri ſcopus diureticis poteſt, quæ

quæ egregiè quoque eliminant, ſeu ſpermaticas vias eluunt: & nominatim *rad. aſpar. ononid. pimpin. herb. capil. vener. heder. terr. cerefol. ſem. dauc. cic. rubr. a. kek. viol. mil. fol. lycopod. aq. appropr. Sirup. dialth. capil. vener.* attenuantia item ſalina chimica ut *Sal. onon. juniper. arc. dupl.* maximè omnium verò ex his conveniet *ſal ſuccin. volat.* ex liquidis autem *Tinct. ſal. tartar. c. oleis & compoſita, aperit. Mœb. nephrit animalis, antimon. ejusq; clyſſus.* Moderamine tamen hic opus putaverim, nec temere hæc adhibenda. Non enim cùm gonorrhœa virulenta nobis res eſt, ubi ulcus in glandulis aut veſiculis extergendum & ab acri affluxu vindicandum eſt. Quodſi igitur nulla ſeri acrimonia adſit, & æger exhauſtus, potius ab iis abſtinendum. Poſtquàm hoc modo primæ indicationi ſatisfactum eſt, malorum reliquias intimè humoribus immerſas oppugnabimus ulterius, hinc.

II. Sanguinis dyſcraſia corrigenda & alteranda.

Conſiſtit autem hæc correctio in attemperando maximè reprimendoque acri calore, ſi adſit, qui & ipſe acres humores producit. Conferunt hic *a ctoſarum genus omne, glyzyrrhiza* cæteraque dulcia, *ſcorzonera, althea, malva, hepat. nob. cetera. h. capil. vener. fumar. ſcabioſ. ſem. fœnic. aniſ. ſchœnanth. cort. cappar. tamariſ. raſ. Lign. ſaſſafr. ſant. rubr.* & herbæ vulnerariæ, quæ ſanguinis fibroſam maſſam ad conſiſtentiam redigunt leniterque conſtringunt. Emulſiones imprimis temperantes, ex *ſem. melon. cucum. 4. frig. maj. paſt. alb. vitic. cannab.* quod ſpecificum habetur, cum *aq. nymph. portulac. plantag.* &c. Ratione conſumtionis conducent quoque antihectica cum roborantibus mixta, ut *antihect. Poterii. antim. Diaph. Pulv. Haly contra phthiſio. ſp. diarrh. Alb. diatr. ſantal.* Contemperant quoq; & juſtam ſanguini conſiſtentiam reddunt chalybeata, ℞a ♂ cydoniata & balſam. *croc. mart. aperitio. ſulphurat bez. martial. cachectic.* In eundem finem collimant corrigunt-

guntq́ corruptum *Pulv. abſorb. M. D.D. Wedelii,Præceptoris, ac Mæcenatis mei omni honoris & obſervantiæ cultu æternum de-venerandi.* *Cachectic. cinabarinus ejusdem cum pulv. ſtomach. mixtus. Eſſent Lignor. eorumq́ decocta. Papaveraceæ* quoq́; lau-danda,*ut, pap.albi ſem.loch de papav. ſirup. pap. rh. diacod.* quæ incraſſando ſemen & chylum, inhibent fluxionem. *Opiata* verò parciſſimè adhibenda ſunt : Obſervavi enim ho-rum uſu, vice plus ſimplici tenſiones ac dolores genita-lium in gonorrhœa non ſolum non ſopitos eſſe, ſed etiam auctos: deterret me quoque Maslach Turcarum, quo Ve-nerem concitari conſtat, non extingui.

XXXVI. Exterminatis ſic iis quæ curationem impe-dire poſſent, ſeminis profluvium prohibendum, &

III. Spermaticorum tonus nimis laxus firman-dus ac roborandus.

Inhibent autem ac firmant leniter conſtringentia, pulve-rum formâ imprimis adhibita, v g. *corallia, bol. armen. terr. catech. croc. Martis adſtring. oſſ. ſep. bezoard. venereum. borrax uſt. magiſter. & Sacch. ſatur. unicorn. foſſ. pulv. ſtypt Heurn. We-del. ſuccin. ſang. dracon. mumia, tragac. maſtich* aut pilulari for-mâ adhibita, ut *MP. de ſuccin. Craton.* cum *extracto agrim. ſcab. millefol. torment. biſtort. theriac.* Ex liquidis probatas inve-nimus alternatim cum pulveribus propinatas tincturas balſamicas & adſtringentes ut *ſuccini, Eſſent. myrrh. balſam. travmat. Wed. balſ. ſulphur. tereb. c. ſacch. Saturni digeſtum, de Capaiba, Tinct. corall. antiph. Gramm. Mart. adſtring.* Potiones parari quoq́ poſſunt ſimul & temperantes & adſtringen-tes, ex *aquis deſtill. burſ. paſtor. plantag. polyg. ſolan. cum ſi-rup. corall. myrtin. de roſis ſiccis, Conſerv. roſarum. Botryos decoctum* quoq́ laudabile eſt. Vide aliud egregium apud *Plater. Tom. III. c. 5. p. m. 480.* Deniq; ex CHIRURGIA ad-vocari in auxilium, aliis fruſtra adhibitis etiam poſſet u-ſtio, quam *Marc. Aur. Severinus Pyrotechn. Chirurg. L. II. p. 1. c. 37.* commendat.

XXXVII. Firmato ſic vaſorum elatere, aut retentri-ce vulgo dicta facultate reſtituta, nihil reſtat quàm ut di-ſpiciamus, quâ ratione vires in integrum poſſint reſtitui. Hinc

IV. Nutrimentum corpori per alimenta conve-nientia reſtituendum.

Cui intentioni unicè ſatisfaciet FONS DIÆTETICUS ex cujus penu depromimus polychyla; humectantia & a-naleptica: ubi denuo *Hippocratis* noſtri conſilium magni faciendum occurrit; dum ſolicitè diætam *cit. loco* deſcribit his verbis. *Poſtea ſerum aut lac aſininum bibendum dato. Cete-rum bubulum lac per 40. dies bibendum prabeto. Ad veſperam verò quamdiu lac potat, alicam ſorbendam dato. A cibis autem abſtineat. Poſtquam verò lac bibere ceſſarit, cibis mollibus ipſum reficito ex modico initium ſumens, & quàm maximè pinguem ac craſſum facere ſtudeto. Per annum ab ebrietatibus & Venere ab-ſtineat exceptis deambulationibus, in quibus vitet frigus & ſolem, Tepidâ autem lavet.* Sanè medicamentoſa hæc alimentatio tot ſeculorum experientia comprobata, omnibus aliis palmam reddit dubiam, imprimis ſi illud eligamus, quod naturæ noſtræ magis conſentaneum ac amicum eſt, quale humanum, aut in hujus defectu aſininum aut caprinum, quod temperatius longè eſt bubulo. Vide de prioris, hu-mani, præſtantia *Platerum Pr. III. 5. Hildan. de Jcb. & Melic.* 24. De aſſumendi quantitate monet hic *Petr. Salius Diver-ſus*, non ad paucas uncias, ſed ad heminas, aut ea quanti-tate, ut hoc ſolum ſufficere ad patientis alimoniam queat, aſſumendum eſſe. Nimirum hæc eſt cura lactis genuina, qua non tantùm lac in maxima quantitate bibimus, ſed & à reliquis alimentis ad tempus abſtinemus; quod unicè *Hippocratis* textui eſt conforme: Hic enim poſtquam 40. diebus lac bibit æger & bibere ceſſavit, tum verò demum alimentis ac cibis mollibus eum jubet reficere. Vide ſub *Ce-leberr. Meib. præſidio defenſam Diſput. de lacte, ante biennium edi-tam*: ubi hujus utilitas firmis rationibus comprobatur, quæ

hic longe eſt certior, cum febris abſit, quàm in hectica vulgari & phthiſi. De modo notandum, calidum ſemper, & tantillo ſacchari à coagulatione vendicatum, aſſumendum eſſe. Latius hic diſputat *Zacut. Luſitan. Prax. admir. Obſerv.* 122. an lac animalis nigri, an verò candidi ad tabidos impinguandos magis expetatur & adſtipulatur *Ariſtoteli* qui *libr. V. de generat. animalium* ex calore animalium diverſam lactis qualitatem judicari poſſe manifeſtè docet: Contra *Am. Luſit.* qui *Cent.* 1. ad lactis probitatem colorem nihil facere aſſeverat. Verum nos quoq; *Ariſtotelis* ſententiæ ſubſcribimus, color enim niger in animalibus & fuſcus in muliere longè eſt præſtantior, & indicat optimam valetudinem, ex qua lactis probitas omnino reſultat. Ad majorem gratiam *Solenander l. c.* addit *liquiritiæ recentis decoctum* aut ipſam *liquirit. tenuiſſimè pulveriſatam*, verum lac ſatis ex ſe dulce, id non expetit, ſed eo redditur ingratius.

XXXVIII. Utut autem lac corpori nobiliſſimum præbeat nutrimentum, non tamen id omnes facilè ferunt. Hinc aliis alimentis adhuc indigemus quæ tunc vires ſuppleant, qualia eſſe poſſunt ova ſorbilia recentia & juxta *Ettmüll. Coll. Pract. part.* 2. *c.* 1. *p. m.* 284. cum vino generoſo & aliquot granis ambræ præparata. Juſcula imprimis gallinarum, pullorum, caponum & carnium laudabilium; caro vitulina ipſa, cocta imprimis cum paſſulis & pineis, ut & perdicum & caponum cum pomis: aromata tamen parcâ manu adjicienda. Convenientisſima verò ſunt juſcula avenacea cum paſſulis minoribus & ſacch. cant. parata. Lautioribus hiſce cibis addi poteſt Indicus *Chocolatæ* potus, vel cum vel ſine lacte, ſicca etiam eadem cum ambra in trochiſcos vel alias formas compoſita: quibus morſulos addere licet ex eadem *Chocolata* cum variis aliis miſta; & ſimilia innumera. His cibus plenus; qualis ſanorum alias eſt, accedere poterit, potusque ex cereviſia defecata, & vino bonæ notæ.

XXXIX. Tandem magnam diætæ partem Veneris abſtinentia conſtituit: uti quidem in præſenti af-

fectu ex hujus abuſu malum unicè progerminavit: quâ ratione quoq; vitanda ſunt ægro omnia ea quæ Venerem ſtimulare poſſunt, qualia ſunt aromata, & ſale acri pollentia: ut *eruca*, *ſinapi*, *cæpæ*, *allium*, *conchæ*, *cochleæ & oſtreæ*, donec cum obfirmata & ſolida valetudine redierit in gratiam. *Aëris* ſtatum quod concernit, expedit eum ſerenum, qualis vernalis eſt: quem *Hippocrates* aptisſimum judicat, dum dicit *loc.cit. Optandum autem foret, ut vere hanc curationem aggrediamur.Motq corporis* mediocris ſit ac blandus, *ſomnus* ſufficiens, *animique pathemata* quieta, nec Veneris cogitationibus, aliisque nebulis ſerena mens involvatur unquam.

XL. Hæc de primo illo tabis dorſalis genere hactenus. Nunc de altera quoque verba eſſent facienda, quam ex omnibus reliquis unam admiſimus, verum de hoc quidem nihil eſt quod à nobis, Lector, expectes, acquieſcimus enim in celebratiſſimi ſuo jure *Tulpii* judicio: *Sacra hujus fiſtulæ (dorſi) tabi auxilia medica eſſe non ſolùm infirma, ſed auſim dicere nulla.* quod non quaſi ſua natura minus efficacia ſint, ſed quia ad locum affectum difficillime imò vix unquam pertingunt, fieri credi par eſt.

COROLLARIUM.

Qui ex *Libro de Genitura t.1 & de Nat. pueri t.3*, itemque *Carteſii Pr.Ph.tb.204.P.IV.* oſtendere volunt *Carteſianum* eſſe Medicum *Hippocraticum*, Dignos ſe tanti viri diſcipulos præbent, ſimul & de iis, qui eosdem *Hippocraticos* eſſe negant, haut levem ineunt gratiam: Eadem enim vis eſt hujus demonſtrationis, atque illius, quo Cl. *Carteſius* demonſtrare voluit, Deum eſſe, quam plerique omnes eruditorum (niſi quos Magiſtri amor occœcavit) talem eſſe autumant, ut inde potius colligi poſſet, non eſſe Deum.